



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Casimirvs Conf. 4. Martij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

Si aliqui de nobis vel malè fingendo, vel malè credendo famam nostram decolorare conantur, adsit conscientia solatium, quòd merces nostra magna est in celis, etiam cum dicunt homines multa mala de nobis piè tamen justèque viventibus. Aug. de bon. Vicuit.

S. CASIMIRVS CONF. 4. Martij.

CASIMIRVS Casimiri Regis Poloniae F. necdum ephebis egressus in ipsa jam adyta sanctitatis est ingressus. Coronam Vngariae quanto alii studio vel ambire vel rapere solent, tanto ille repellere à capite suo adlaboravit. Summâ hyeme nudis pedibus noctu templa obibat; purpurâ non corpus, sed cilicium tegebat: somnum humi capiebat, gnarus pusquam alibi tam securos castitatem somnos dormire. His studiis occupatum morbus invadit. Lamentantur parentes; illacrimatur aula; adgemiscunt regna. Circumstant interea lectulum medicorum turbæ, medicinam facile nuptias suadent, concessam ægro voluptatem. Sed noluit ille vivere, nobilissimâ animæ parte virginitate emortuâ. Itaque ne non virgo moreretur, juvenis moritur, dignus qui in omnium ore ac calamis vivat. Et verò vivere etiam post mortem Poloni compererunt, cum candidissimo equo in vectus contra Moschos moventibus Dux adfuit, & ductis per aquas compendium ad nobilissimam victoriam monstravit. Quin cum anno obiisset à pariente VIRGINE M.CCCC.LXXIII. anno deinde M. DC. IV. corpusculum virgineum unâ cum versibus, quos in laudem VIRGINIS panxerat, secumque tumulo inferri mandaverat, integerrimum est repertum. Legant hoc ii, qui insuper habent

habent maculare quotidie castitatem; cui tamen
 mors ipsa non nisi volenti vim facit, quin mortuæ
 etiam timet manus inferre. *Ex vitâ.*

*Quousque caro misera, insipiens, cæca, demens, ac
 prorsus insana transitorias & caducas querit consola-
 tiones, imò desolationes; si fortè contingat repelli
 & indignum judicari celesti gloriâ, & aternâ
 cruciari pœnâ? S Bern. serm. 6. de Adv.*

S. CONON M. J. Martij.

INter primos Ecclesiæ flosculos CONONEM
 etiam numerabis, ut quem ætate Apostolorum
 floruisse scribunt. Huic etiam nepotum magis,
 quam virtutis cupidi parentes uxorem obtruse-
 runt. Sed CONON è sponso Paranympheus factus
 virgini auctor fuit, in Christum potiùs amores
 suos transferret. Ita virgo uterque conjux vixit. Ut
 tamen non sterile fuisse autumes, Christo paren-
 tes suos genuit CONON, magnamque aliam, &
 nunquam morituram posteritatem miracula post
 se reliquit. Ipse Angelorum primipilus Michaël
 visus edocuit CONONEM, qui ritè sacris undis tin-
 gendum se præberet, epuloque sacro scitè hospes
 accumberet. Dolebis credo, qui hæc legis, juven-
 turti similem magistrum deesse. At cælum id inge-
 mificit potiùs, magistro huic similes hodie disci-
 pulos, Conones deesse. Sed quid discipulum vo-
 co, qui doctor sanioris doctrinæ parètibus, quem-
 admodum diximus extitit, eosque non nasci mo-
 dò Christo, sed mori pro Christo docuit; ipse
 quoque flagris ad columnam religatus, & ad in-
 terneccionem flagellandus, nì invitum tormentis
 Christiani eripuissent? Superstitionis hostis maxi-
 mus